

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

in praeconio euangelii sinceritatem testatur; quam testificationem, tanquam nouam inducit causam, cur DEO ministerium suum sit acceptum, & salutaris efficaciae nunquam expers. Innuir nempe, se non miscuisse in praeconio suo, falsa vel ficta veris, non humana placita diuinis veritatibus, non legem euangelio, sed sine omni mixtura, pure & sincere, euangelium auditoribus suis propinasse, vt Christum glorificaret inter gentes: se non inflexisse veritatem ad affectus Iudaeorum, non ad iudicia rationis, lucri gratia. Graecam vocem *καπηλέων* adhibet, quod de cauponibus dicitur, qui vinum aqua miscunt lucri gratia. Idem argumentum prosequitur seq. *cap. III.* in quo inter legem & euangelium, item inter euangelii & legis ministerium comparisonem instituit, vt eo magis elucescat, apostolorum ministerium esse suauem odorem Deo.

§. XIII. Si scopum conferas cum his omnibus, indubitato videbis, mentem apostoli vt decet nos exposuisse. Tota haec posterior ad Corinthios epistola, apologiam Pauli complectitur, aduersus Pseudapostolos. Hanc *com. 12. cap. II.* exorditur, & per varia eaque vali-

validissima argumenta *cap. III. IV. & V.* continuat. Pseudapostoli enim, quantos praeconium Pauli fructus produxisset, experti, propagatione euangelii haud interrupta, grauiter offensi erant. Hinc Christo aduersi, fructus enatos suffocaturi, ministerio Pauli auctoritatem abrogare laborabant, mendacia, affectatam in ecclesiam tyrannidem, imposturam, verbique diuini deprauationem, ipsi obiiciendo. Horum vanitatem vt retunderet, ad falso imputata responderet, & fidelium corroboraret fiduciam, omnem Paulus nauat operam hac in epistola: euangelium verum esse, eiusque praedicationem a se sine fuce factam, ob oculos ponit. Hac occasione data legem cum euangelio contendit, huius prae illa euidentissimam praestantiam commonstrat, fructusque varios enarrat egregie, vt euangelii vocem eiusque ministerium tanquam bonam fragrantiam Christi, vndiquaque mirum in modum commendet. Absit vt cogitemus, Paulum vanam hic captare gloriam, quodque DEO sit fragrantia bona Christi, sibi vindicare. Nam scopus apostoli plane requirit aliud. Non enim erat *καπελεύων*, euangelii praeconio gloriam sibi simul

acquirens. Hoc eo magis remouet, quo magis homines deprauati huc inclinant. Quando sub finem *com. 16.* tale subiungit suspirium: καὶ πρὸς τὰ ἄλλα τίς ἰκανός, suarum his verbis virium defectum, submississimo animo, in hoc tam difficili negotio, ingenue confitetur, & omnes vires ad eius deponit pedes, a quo acceperat.

§. XIV. Non autem necesse est vt cogitemus, hoc loco Paulum, ministerium euangelii obiter vel casu forte, odoris boni insignire nomine. Si eam teneremus sententiam, magno opere profecto falleremur, nec nos Pauli mentem inspexisse, manifestum esset. Certe frequens huius locutionis vsus, lectorem extra dubitandi licentiam constituit. Iudaeos imprimis eius vis & emphasis latere non poterat, quippe qui, vt supra ostendimus, acceptiones notatu dignissimas, frequenter satis ob oculos habebant. Si apocryphi libri testimonium alicuius momenti foret, ad Siracidem prouocari posset, qui virtutes fidelium hoc sub schemate designauit, *cap. XXXIX. 18. coll. Hof. XIV. 7.* Quid? quod ex vsu quotidiano sensus eiusdem cuius facile patet. Causam ergo indagemus cur apostolus, vel Spiritus sanctus, hanc nostro in loco adhi-